



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

1. Opificum invidia mutua.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

set; & *Ariadne*, Minois filia, ejus operâ Theſcum è labyrintho emiſiſſet. Cùm igitur terra, marique negatum ſibi videret effugium, ſolus reſtabat aër, per quem fugam duxit eſſe tentandam. Simulat ergo munus ſe conficere velle, & opus mirabile, quò regis placare poſſet animum; poſcit ceram & varias pennas; quibus impetratis; conficit alas & ſibi, & *Icaro* filio: annectit eas humeris, & avium in modum libratus è Creta in inſulam Sardiniam aërium carpit iter. Urbem *Cumas* delatus, *Apollini* templum erigit, grati monumentum animi. *Icarus*, dum ſpretis paternis monitis, juſtò altiùs evolat, cera ſolaribus liquefacta radijs ſolvitur, decidunt pennæ, & ipſe delabitur in mare, cui nomen à ſe *Icarium* fecit.

## Ethica.

I. (a) In adagijs dicitur: *Figulus figulo invidet, faber fabro.* Artificij enim ſimilitudo magis æmulationem, quàm benevolentiam conciliat. *Hesiodus* canit:

Καὶ κεραμῆι κεραμῆος κοῦτε, καὶ τέκτονι τέκτων,  
Καὶ πλώχῳ πλώχῳ φθονεῖ, καὶ αἰοῖδὸς αἰοῖδῳ.  
Odit namque faber fabrum, figulùſque moleſtus  
Eſt figulo: mendico protinus invidet alter  
Mendicus: cantor cantorem lividus odit.

Uſſit invidentia *Dædalum*, & incedit adeò; ut adoleſcentem ingenioſum, propinquo junctum ſanguine, in diſciplinam ſibi à ſore traditum, ob induſtriam & ſolertiam mentis, præcipitârît ex alto; & mentitùs ſit inſuper, eum lapſum fortuito caſui deberi. An non profectus diſcipuli cedebat in laudem magiſtri? ſed invidia cæcutit ad honeſta, quamcunq; ſit oculata in rebus alterius reprehentioni ſubjectis. Neque rarum eſt, ut diſcipuli laborent ingrati animi vitio; magiſtri verò livorùs afflentur veneno; quiritantur ſcilicet ſi oleum perdant & operam in ſtupidis & bardis inſtruendis capitibus; irritantur, ſi nanciſcantur ingenia ſuiſmet feliciora, & artis dubiam factura palmam; timent, ne diſcipulus ſupra magiſtrum.

II. De *Perdice* *Ovidius*:

----- at illum

Quæ favet ingenijs, excepiſt Pallas, avénque  
Reddidit, & medio velavit in aëre pennis:

G g

Seqt

(a) Opificum invidia mutua.